

quod vocem ad supplendum sensum ex sequentibus repetat, in quo Cl. Virum ducem sequitur, 2) verba :: *Ex Ephraim radix earum contra Amalek*, nullum habent sensum. Quare rectius vertuntur, *quidam ex Ephraim, quorum stirps (Josua) fuit contra Amalek, descenderunt ad bellum*. Vocem enim ירר in sequentibus repetiit, cur ergo huic membro non addatur, ratio nulla allata est. 3) מני אפרים vertit contra idiotismum, *ex Ephraim*, rectius vertitur, *quidam ex Ephraim*, Sic Esth. 7, 9. *Ex Eunuchis* h. e. *unus quidam ex Eunuchis*, Jer. 39, 10. מן העם *ex populo*, h. e. *quidam ex populo*, Neh. 5, 17. מן הגוים *quidam ex gentibus* &c. ignorantiam prodit Fr. dum hanc versionem improbat. 4) *Post te* (o Ephraim vel Josua ex Ephraim oriunde) *erat Benjamin in populis tuis*. Debora enarrat tribus Israelitarum, quæ bello contra Siferam suscepto interfuerunt. Quod patet ex v. 15. Sequitur ergo ex versione Fr. Josuam jamdudum mortuum bello isti interfuisse. Ignoravit Fr. quod vexillo Ephraimitarum adjuncti fuerint Benjamitæ, quod docet Lyd. de re milit. p. 82. ad quod Debora h. l. respexit. 5) *ex Machir descenderunt legeslatores*, h. e. juxta mentem Fr. p. 71. ex illis orti sunt, qui Reipubl. clavum tenuerunt. Sed talem sensum non admittit vox ירר *descenderunt* licet vox latina non repugnet. ירר significat *motum ex loco in alium locum*, imprimis descensum ad bellum, non vero generationem. Adducam loc. Jud. 1, 9. *postea ירר descenderunt Judæi ad pugnandum contra Cananæum*. Sic Jud. III, 27. legimus, ירר *descenderunt cum Ehud Israelitæ de monte*, pugnaturi contra Moabitas. Sic in eodem bello, contra Siferam suscepto: ירר *descendit Barak de monte Thabor & decem millia virorum post eum*, scil. ad pugnandum. Fr. ex ignorantia & linguæ imperitia hoc non observavit. 6) *legeslatores inquam*, est superfluum, quod *Dominus inquam* pro more suo toties inepte addit. 7) *Ex Sebulon (NB. Sebulon descenderunt) trahentes stilo scribæ*. Fr. addit NB. *Sebulon*, quasi in Hebræo textu NB. esset additum, nugæ! Qui sint trahentes stylo scribæ, vid. Abicht. p. 220. solide differentem. Destructa versione ruit etiam tabula, quæ falsum & alienum sensum sistit.